Edwardus de Robathan

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

QVAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,

J.U.D. ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Ordinarii.

NECNON

Ampliſſimi Senatûs Academici unanimi Conſenſu,

& Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

DAVID DUCLAUX, AQUITANUS.

Ad diem 21 April. horis locoque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typographum. MDCXCIII.

NOBILISSIMO AMPLISSIMO

PRUDENTISSIMOQUE

SENATUI

ZIRIZÆANO.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Diſputationem hanc Inaugu-
ralem in grati animi Teſſe-
ram humillime offert

DAVID DUCLAUX,

Auctor.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

APOPLEXIA.

§. I.

Explicatio *ſenſuum*, *motuumque arbitrariorum*, uti doctrinam comprehendit de *Fœdere*, ſive *communi mentis & corporis vinculo*, nobiliſſimam, ita inquiſitionem exigit operoſiſſimam, & conſtantiſſimam, quæ Delio (ut ait *Socrates*) natatore indiget, quia mergitur in profundo. Ventoſitatis ergò temerariæ, me quidem inſimulabunt benè multi, quod gravem illam affectionem, quæ, Medicis *Apoplexia* dicta, nodum illum Gordium includit, *Theſibus meis inauguralibus*, ſubjectum delegerim: verùm, hoc ſibi habeant reſponſum, quod, uti arrogantiam circa ſcientias & artes vanam, omnino cenſeam eſſe vilipendendam, ita ſuſpicionem & diffidentiam virtutis propriæ nimiam, eſſe ſeponendam; potius itaque tentandum, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, nec enim *Momo* ſatisfacere poterat *Jupiter*.

§. II.

Græca vocis Apoplexiæ eſt origo, percuſſionem & ſtuporem ſignificans vehementem, ἀπὸ τοῦ ἀποπλήσσειν, percutere, frangere, percellere &c. derivanda, quatenus *ſenſum motumque omnem arbitrarium, nonnunquam ſubitò, nonnunquam lentè tollit, inducendo ſomnum profundiſsimum, ſtertorem, aphoniam, reſpirationem lentiſsimam, ſaltemque non abolitam, pulſu tamen remanente, nonnunquam valde debili, nonnunquam ſatis robuſto.* *Celſo* venit nomine *morbi attoniti*: aliis (τὸ θεῖον hìc ſupponentibus) dicitur *ſideratio.*

III. Mul-

III.

Multifariam ab Auctoribus Apoplexia dividi ſolet, tam ratione cauſarum, quam effectuum diverſorum: nempe, vel in *ſanguineam* & *pituitoſam*, ſive *ſeroſam*, vel, *accidentalem* & *habitualem*, vel, *gravem* & *levem*, ſeu (ut loquitur *Hippocrates*) *vehementem* & *debilem*, vel *ſubitaneam* & *lentam*, vel, denique *hæreditariam*, quanquam de hac multi dubitent.

IV.

Differt Apoplexia à *comate ſomnolento*, *lethargo* & *caro* ratione ſomni & ſtertoris gravioris, reſpirationis debilioris, & invaſionis ſubitæ: ab *epilepſia* & *ſuffocatione hypochondriaca*, quòd non adſint convulſiones interpolatæ: ab *animi deliquio*, per ſtertorem, pulſumque (proportione ſervatâ) robuſtiorem, & paroxyſmi diuturnitatem: à *catalepſi*, quod membra, eodem in ſtatu, quô erant invadente paroxyſmo, rigida, non permaneant, nec determinationem ullam ab objectis ſuſcipere & retinere valeant: item, quòd in *Apoplexia* reſpiratio & pulſus ferè ſint aboliti, ſed in *Catalepſi* liberrimi.

V.

Signa Apoplexiæ, ſine violenta cauſa externa, *ingruentis*, veriſimilia ſunt ſequentia: propenſio in ſomnum extraordinaria, vertigo frequens & diuturna, ſtupores, tremores, præcipue capitis frequentes, dolores capitis ſubiti atque acuti, venarum jugularium turgeſcentia, tenebræ oculorum crebræ, palpitationes cordis, ſtridor dentium in ſomno.

VI.

Præſentis Apoplexiæ ſigna quidem data ſunt in §. 2. ſed tamen præterea, editur aliquando vox, qualis eorum qui ſtrangulantur, & protractus quaſi mugitus: reſpiratio (plus minus debilis, & ſemper cum ſtertore conjuncta) modò ordinata eſt, modò inordinata, intermittens, rarior, frequentior: ſpuma ſæpè oris obſervatur, ſed ſæpius narium, ſtirias referens glaciales.

VII.

Hinc ſodes! quid jam de Apoplexiæ cauſa proxima, ſive continente & immediatâ, decernam? num quòd unanimi (ſaltem quod ſciam) Medicorum conſenſu, Cerebrum ſit ſenſus motuſque primarium principium; *ſemper & unicè*, hoc affectum eſſe, pronunciare auſim? atqui variæ cerebri partes lædi, & auferri

ferri poſſunt, ſenſu motuque ſuperſtite: atqui etiam læſô corde, ſuppreſſâ reſpiratione, & ſanguine (à quacumque demum causâ) vehementer ac ſubitò, ſive attenuatô, ſive incraſſatô, ſenſus motuſque abolentur. Num quòd cadaverum aliquorum diſſectio, arterias caroticas & vertebrales, ſanguine grumoſô, aut prorſus glutinoſô, obſtructas, vel aliundè compreſſas, monſtráverit; talem conſtitutionem *ſemper & unicè* Apoplexiam gignere, aſſeram? atqui aliis in caſibus ſimilibus, vaſa pulmonum ſanguifera, interdum diſrupta, interdum turgida admodùm, inventa fuere, liberis repertis vaſis cæteris. Num denique, quòd, aut ſanguis grumoſus & coagulatus, aut lympha viſcida ventriculos cerebri in Apoplecticis repleverit, hoſce *ſemper & unicè* obſeſſos, compreſſos, obſtructos, exclamabo? abſit revera. Quin tribus (ut ajunt) verbis ſignificabo, quòd illa, quæ enarravi, omnia, certô reſpectû eſſe poſſint veriſſima, ratione graduum Apoplexiæ diverſorum, & invadendi modorum multiplicium; ſed omne id, quod ſpirituum animalium, & ſecretionem, & diſtributionem ſufficientem potenter inhibere valet, ſive fuerit erodens, ſive incraſſans, comprimens, impetum faciens &c. Apoplexiam (quæ non niſi *gradu* differt à cœteris morbis ſoporoſis) reverà ſemper generabit.

V I I I.

Et hoc ſuper fundamento, cùm ſolidè ſatis ædificatum eſſe cenſeam ſymptomatum Apoplecticorum ſyſtema, injuriam Lectori ingenioſo, me facturum arbitror, ſi prolixè iis reſolvendis inhæream: breviter ſolummodò hic ea percurram.

Nempe, deficientibus (quocunque demùm, ut monui, modô) ſpiritibus animalibus, nervi (qui vaſculorum cerebri, cerebelli, & medullæ ſpinalis minimorum, ſunt continuati ductus) prorſùs flaccèſcunt; per conſequens, motuum determinationes, organis ſenſuum communicatas, ad ſenſorium commune, prout oportet, transferre nequeunt, ut *perceptiones rerum menti communicentur*: ita chordæ muſicæ flaccidæ nullum edunt ſonum.

Eadem prorſus ratione, cùm muſculorum latifundia exinaniantur, nec repletionis canalium eorum ſufficientis, ulla adſit occaſio, clarum eſt, *expanſionis & contractionis opus ſuccumbere ad arbitrium mentis, corpuſque inſtar trunci ficulnei jacere.*

Hæc autem *ſubitò* fiunt, ſi cauſæ ſint violentæ externæ, qua-

 les

les jamjam enarrabo, *lentè* vero, ſi vel in fluidis corporeæ machinæ partibus, humor aliquis acer, craſſus, terreſtris & glutinoſus, diutiùs oberraverit, vel canaliculis partium diverſarum, præſertim cerebri, paucioribus inhæſerit; & tunc vulgò præceſſit levior aliquis morbus ſoporoſus.

Stertor hic non poteſt non oriri, *primò*, cum materia peccans craſſa, æquè in pulmonum cellulas veſiculares, ac alibi, ſit effuſa & propulſa, quæ irregularitates undulationum vibratoriarum aëris infert neceſſariò: *Secundò* cùm propter ſpirituum defectum, organa reſpirationis, vividè ſatis, ad aërem, prout oportet, reciprocè impellendum & expellendum, contrahi nequeant, hic *Languidioribus*, *& interruptis* ſuis undulationibus, ſonum illum reddit ingratum.

Ad hæc omnia, qui ritè attenderit, facillimè, cur *vox ſit abolita & reſpiratio lentiſſima*, percipiet: namque actiones hæ naturales, cùm à contractione valida muſculorum multorum & magnorum linguæ, laryngis, diaphragmatis, intercoſtalium, pectoralium & abdominis dependeant, ſine copia magna ſpirituum animalium, eos abſolvi non poſſe, manifeſtum eſt: quatenus tamen nervi reſpiratorii, ſunt multi & magni, patentioribus (ob actionem *fortem* & à nativitate uſque *continuatam*) canalibus præditi, aliquam quidem, ſuperſtite animali, ſuppeditant ſpirituum copiam, ſed reſpirationi naturali continuandæ imparem.

Pulſus languet, contractione muſculorum cordis, ob inopiam ſpirituum, languente, aut (pro rata) robuſtior eſt, ſanguine, ſubtilibus particulis copioſioribus ſcatente, quæ expanſionem laterum cordis, nonnihil vegetam (ſed ad pauca momenta) continuare valent: quapropter talis non obſervatur, niſi in Apoplexia, *ſubitò* corpus, cœterà ſanum, invadente.

I X.

Antecedens Apoplexiæ cauſa, lucem ſuam fœneratur ex antecedentibus; nempe ſi ſanguis fuerit extraordinariè vel acer ſalinus aut acidus, vel terreſtris & glutinoſus, vel ad impetuoſum motum ſubitò concitatus, Apoplexiæ cauſam proximam facile ſuppeditare poterit.

X.

Cauſæ procatarcticæ poſſunt eſſe multiplices, ut luxurioſa ebrietas & ingluvies, fumus tabaci immoderatus, ſcabies retropul-

pulſa, ſpiritus ſalis ammoniaci & ſimilium valdè ſpirituoſorum & acrium; horrenda doſis; opiata & narcotica intempeſtiva, nimiſque copioſa, ſuffitus arſenicales, mercuriales, ſulphureæ &c. pluvioſæ & hyemales conſtitutiones, æſtus prægrandis, aut ipſi ſuccedens ſubitum frigus, alapa, ſuppreſſiones evacuationum conſuetarum, animi commotiones vehementiores &c. quæ omnia & ſingula, quomodo catenam cum antecedentibus integram componant, attento obvium erit.

XI.

Eventum hujus morbi quod attinet, nunquam non funeſtus eſt, aut dubius, ſive cum periculo præſenti aut futuro. Namque à ſpirituum animalium ſecretione & diſtributione continuatâ & vegetâ, cum maxima pars actionum vitalium & animalium dependeat, liquidum eſt eâ ſuccumbente, mortem eſſe in propinquo: & licet cauſa morbifica, vel vigore aliquali motus ſanguinis & humorum, vel virtute medicamentorum aliquomodò diſſipetur, ſtigma tamen profundum inurat; aut paraplexiæ vel hemiplexiæ, aut pareſeωs: adde quòd, canaliculi intra Cerebrum, invadente apoplexiâ, dilatati aut rupti, recidivam minentur: veriſſimè quoque dixit *Hippocrates*, *ſolvere Apoplexiam vehementem, quidem impoſſibile, debilem verò non facile*, nam cauſa morbifica major eſt & pervicacior, quàm ut ſatis ſubitò, medicamentis diſſipari poſſit; quæ Apoplexia oritur à ruptione vaſorum interiorum cerebri, immedicabilis eſt: *Peſſima* etiam (inquit *Williſius*) *in qua præter functiones omnes ſpontaneas abolitas, etiam pulſus & reſpiratio, aut deficiunt, aut laborioſè peraguntur, & tunc plerumque cum ſpuma oris & ronchis contingit, quibus dein ſudor* (*qui ſæpiſſimè colliquativus* ſ. frigidus *eſt*) *ſuperveniens, mortem magis præcipitem fore indicat*: rariſſimum autem puto fuiſſe caſum illum *Tulpii lib.* I. *cap.* VII. de *juvene, gravi Apoplexiâ correptò, qui brevi priſtinam recupaverit ſanitatem.* Videatur porrò *Hippocrates S.* VI. *Aph.* 51. ubi dicit, *quibus ſanis dolores derepentè fiunt in capite, & ſtatim muti ſiunt, ac ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.* Solvitur aliquando Apoplexia, *ſalivatione criticâ*, prout videre eſt apud *Paulum Barbette prax. cap.* 2.

XII.

Indicationes curativæ ſpectant, & ad revocationem ægri à paroxyſmo, & ad recidivæ averruncationem: In Apoplexia *ſubitò*

bitâ, pulſu exiſtente robuſto, & corpore plethorico, illico inſtituatur *Venæ Sectio*, & quidem, ſi commodè fieri poſſit, in venis *jugularibus*: aliàs verò V. S. eſt periculi & aleæ plena: naribus admoveantur medicamenta, *ſale volatili penetrante & oleoſo fœtido* prægnantia, ut ſpiritus ſalis ammon. recens, caſtoreô, aſſâ fœtidâ &c. nobilitatus, acetum caſtorinum, balſama antapoplectica: *clyſteres* injiciantur *acres*, vel iis rejectis immittantur *ſuppoſitoria* acria, cavendo tamen nè inteſtinum rectum *inflammetur*: *Vomitoria* ſunt dubia, & *Hofferus in Hercule Medico* ait, *cave à vomitoriis, niſi æger ſtatim à cibo Apoplecticus fuerit factus*: *Sternutatoria* itidem ſunt dubia; *ligaturæ* artuum dolorificæ, *cauteria*, *Setacea* & ſimilia cum fructu ſæpè adhibentur. Revocato ægro, præſcribenda ſunt *interna* remedia, ſale volatili oleoſo fœta, quorum omnium Catalogum hic adornare, quamquam facillimè poſſem, tamen, ut Plagiarii nomen evitem, ſicco pede prætercam; verbo ſaltem monendo, *ordinem*, *ſeriem*, *proſecutionem & viciſsitudinem artificioſam, in omnibus Naturæ operibus plurimùm poſſe*: Ubi ſanguis eſt valdè acer, cogitur *Practicus* refugium ſumere ad emollientia, humectantia, & palliativa, ſed tamen ubique attendendum ad urgentia ſymptomata. Diætæ regimen ex antecedentibus petendum.

COROLLARIA.

I.

Totum crebrum cum appendicibus ex vaſculis eſt conflatum.

II.

Somnum naturalem oriri ab aliquali ſpirituum defectu, non vero eorundem intra cerebrum remora, aſſerimus.

III.

Circulationem bilis negamus.

FINIS.

ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ

Honoribus & Meritis

Doctiſſimi Ornatiſſimique Juvenis

DAVID DUCLAUS,

Cùm unanimi Conſenſu Senatus Academici poſt Inauguralem Diſputationem Medicam

DE

APOPLEXIA

Medicinæ Doctor crearetur Die 21 *Aprilis* 1693.

Dum doctorandus juſtò meritóque Cathedram
Aſcendis ſcandis ſupremum culmen honoris;
Viſum namque fuit ſtudiorum ponere metas,
In celebri Lugdunenſi notoque Lyceo,
Daſque tui ſpecimen clarum, dum Theſibus iſtis

Demonſtras miſerum quonam ſymptomate noſtrum
Urgeat immenſo validoque APOPLEXIA corpus:
Cauſam deſignas morbi monſtraſque medelam
Lethiferum cum qua poſſis ſanare dolorem.
Aſpiret ſtudiis Deus & tua cœpta ſecundet
Ut tutò, citò, jucundè mala tollere poſſis,
Sicque tuum vivet notum poſt funera nomen.

Poſita amico integerrimo, ſuaviſſimo

A JOHANNE PAULO GAILLARDO Jac. Fil. Med. Stud.